



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

i. De vita & honestate clericorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

## LIBER TERTIVS.

## DE VITA ET HO-

NESTATE CLE-

RICORVM.

Tit. I.



LERICI, præsertim in sacris <sup>13. Vt cle-</sup>  
 ordinibus constituti, continen- <sup>ricorum.</sup>  
 ter & castè viuunt, ab omni li-  
 bidinis vitio præcauento, sic in  
 conspectu dei puro corde &  
 mundo corpore ministrant.

Qui incontinentiæ vitio laborare depræhensi  
 erunt, prout magis minúsve peccassint, secun-  
 dùm canonicas sanctiones puniuntur. hæc di-  
 strictiùs & efficaciùs obseruantur. Si quis ex hac  
 causa suspensus diuina celebrauit: ecclesiasticis  
 beneficiis spoliator, perpetuò exauthorator.  
 Prælati si hos in suis iniquitatibus sustinebunt:  
 pari ultioni subiacento. Qui clerici pro regio-  
 nis suæ more coniugalem copulam non abne-  
 gassint, si lapsi fuerint, grauiùs puniuntur.

Omnino autem clericus sine gradu existens, <sup>6. Cleri-</sup>  
 dum nec à parentibus monasterio traditus fiet, <sup>chs. 12.</sup>  
 si tonsura dimissa vxorem accepit: hanc habe-  
 re permittitur. In vita sua ne dimittito, iterum  
 tondetur.

Monasteria autem monialium si quis clericus <sup>8. Mona-</sup>  
 sine manifesta & rationabili causa frequentassit: <sup>steria.</sup>  
 per episcopum arcetor. ni desistat: ab officio

## De vita & honest. cler.

ecclesiastico immunis redditor. Si laici erunt excommunicationi subduntor, à cœtu fidelium alieni efficiuntor.

14. *A-  
crapula.* A crapula & ebrietate omneis clerici diligenter abstinēto. Temetum sibi, & se temeto temperanto. Nemo ad bibendum inuitator, néve ad potus æqualeis obligator. Si quis super his culpabilem se exhibuerit: ni à superiore commonitus satisfaxit, ab officio beneficióve suspenditor.

15. *Clerici  
9.* Clerici officia commerciáve secularia, maxumè inhonesta, ne exercento. Mimis, ioculatoribus, & histrionibus ne intendunto. Tabernas, nisi necessitatis ergó in itinere constituti, prorsus euitanto. Alea & taxillo ne ludunto, néve huiusmodi ludis intersunto. Corollam seu tonsuram, quam dicunt, congruentem habentor. In officiis ecclesiasticis, & aliis bonis studiis diligenter sese exercentor. Clusa desuper indumenta deferunto. hæc breuitate longitudinéve nimia ne notátor. Pãnis rubeis aut viridibus, manicis calceisve consuticiis, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aliámve superfluitatem gerentibus ne vtútor. Cappas, quas vocant, manicatas ad diuinum officium intra ecclesiam, alibiue qui in sacerdotio & personatibus constituti sient, nisi quæ iusta causâ timoris habitum transformari exiget, ne gerunto. Fibulas omnino ne ferunto. Corigias item auri argentíve ornatum habêtes, & annulos (nisi queis ex officio dignitatis competet) ne ferunto. Pontifices omneis in publico & in ecclesia superindumentis

lineis vtuntor. Monachi tamen habitum monachalem ferunt. Palliis diffibulatis in publicone vtuntor. ea post collum, anteve pectus hinc inde connexa sunt.

Item si quis ex clericis comam relaxafsit: *ana- 4. Si quis.*  
thema esto.

Immo neque comam nutriunt, neque *bar- 5. Clericus*  
bam. *i.*

Si faxint: etiam inuiti à suis episcopis tonden- *7. Cleri-*  
tor. *cis.*

Qui clerici diuinis officiis prætermiffis secu- *16. Ex lita-*  
laribus negociationibus intendunt, ni tertio ab *ris.*  
episcopo suo cõmoniti refipifcent, quandiu his se implicabunt, statutis & consuetudinibus patriæ quoad facultates suas in earumdem quæstibus subiacento. in hoc ab episcopo ne defendûtor. facto enim ipso clericale priuilegiû abieci- se intelleguntor.

Clerici omnes ex ecclesiasticis redditibus sibi *10. Cõ ab*  
deputatis honestè viuunt. si quas causas ex *amisi.*  
apostolica delegatione suscepifint: præter victualium expensas, super decuma aliãve parte litis cum litigantibus ne conueniunt. his vigorem iudicarium gratis impertiunt. nihil etiam adfessorum nomine exigunt. venaleis sententiæ ne sunt.

Qui clerici vsurarii erunt, vel arma portantes, *2. Clerici.*  
excommunicantor. *i.*

Episcopi autem prouentibus & expensis ec- *9. Quodniã*  
clesiarum suarum diligenter inspectis certum in eis mystarum seu clericorum numerum ponunt. horum bona in commune veniunt. hi in

## De vita & honestat. clericorū.

vna domo vescūtor, sub vno tecto dormiunto, quiescunto. hæc episcopis statuere liceto. Nisi si qui contradictores erunt: per suspensionem officii & beneficii, grauiorive pœna, si opus erit, ad hanc obseruantiam eos compellere permissum esto. nulla adpellatio officito. Si quis eorum qui simul viuent pro manus in socium iniectione à communionem alienus erit: hunc reconciliandi, & pœnitentiam imponendi, nisi tamen atrocitas facti grauiorem pœnam desiderabit, potestatem episcopi habento.

11. *Deus qui.*

Inter eos quoque qui ad prædicandum pagani euangelium missi erunt si qui monachi, & regulareis canonici, aliive regularem vitam sub alia distinctione professi erunt, & dispar in his obseruantia, & dissimilis habitus scandalum suscitare formidabitur: omneis pariter in vnum regulare propositum, & honestum habitum, quantum ad hoc spectabit officium, conformantor.

12. *Ut quis que.*

Quisquis presbyter plebem reget, clericū, qui secum cantet, habento. Idem clericus epistolam & lectionem legito, scholas teneto, parochianos, vt filios suos ad fidem discendam ad ecclesiam mittant, admoneto. hos ipse castè erudito.

13. *Cū de- corem.*

In ecclesiis theatrales ludi ne fiūto, neue lascaruarum monstra in his introducūtor. Diaconi, presbyteri, & hypodiaconi infamiæ suæ ludibria ne exercento. Sic ecclesiæ honestas ne inquinato. hæc episcopis locorum curæ sunt, ludibriorum consuetudinem seu potius corruptelam ab ecclesiis suis extirpanto.

Laici secus altare quando sacra myſteria cele- <sup>1. Vt laici.</sup>  
brantur ne ſtāto, nēve inter clericos ſedēto. quæ  
pars cancellis ab altari herciſcetur, pfallentibus  
tantūm clericis pateto. Laicis tamen & ſceminis  
ad communicandum & orandum ſancta ſan-  
ctorum pro more patento.

*De cohabitatione clericorum & mu-  
lierum. Tit. 2.*

**S**I quis ſacerdotum id eſt presbyter, diaconus, <sup>2. Si quis</sup>  
Shypodiaconus de quacunq; ſcēmina crimi <sup>quāvis.</sup>  
ne fornicationis ſuſpectus, poſt primam, ſecun-  
dam, & tertiam admonitionem cum ea ſabula-  
rier, & aliquo modo cōuerſarier inuenietur: ex-  
communicationi ſubditor. ſcēmina canonicē iu-  
dicator.

Itaque epiſcopi iuriſdictionis ſuæ clericos qui <sup>4. Sicut.</sup>  
in hypodiaconatu & ſupra fornicarias habebūt,  
vt eas à ſe remoueant vlteriùs minimè admiſſu-  
ri, ſtudioſè monento. ni ad quieſcent: eoſdem ab  
eccleſiæ beneficiis vſque ad ſatiſfactionem con-  
gruam ſuſpendunto. ſuſpenſos, ſi eas detinebūt,  
ab eiſdem beneficiis perpetuò remouento.

Epilcopi denique cum clericis mulierculas, <sup>9. An-</sup>  
niſi in quibus naturale ſcēdus nihil ſæui crimi- <sup>bis.</sup>  
nis ſuſpicari permittet, habitare ne ſinunto.

Mulierculas tamē de quibus ſuſpicio eſſe poſ- <sup>1. Inhiben-</sup>  
fiet nullus ſacerdos, nec ſi mater, amita, ſorōrve <sup>dum.</sup>  
erit quas canones concedunt, retineto. tantūm  
ſi quæ earum neceſſitatem habebit: presbyteri  
in vico villāve longè à ſua conuerſatione do-